



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Concilivm Bracarense I. Anno III. Ariamiri Regis celebratum die
Kalendarum Maiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Saluto tantum quantum valeo. deprecor vt otiosa non sis: incessanter clama, incessanter canta. Audisti dictum: *Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Nam scias, prima salus, prima remissio est, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes. rogo vt sic agas, vt & gentem Longobardorum fortem super inimicos facias, & nos de salute tua vel viri tui gaudere concedas.

Anno Domini 565.

ANNO
CHRISTI
565.

CONCILIVM BRACARENSE I.

ANNO III. ARIAMIRI REGIS

celebratum die Kalendarum Maiarum.

CVM Galliciae prouinciae episcopi, Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, * Ildericus, Lucentius, Timotheus, Maliosus, ex praeepto praefati gloriosissimi Ariamiri regis in metropolitana eiusdem prouinciae Bracarensis ecclesia conuenissent; confidentibus simul episcopis, praesentibus quoque presbyteris, adstantibusque ministris, vel vniuerso clero, Lucretius memoratae metropolitanae ecclesiae episcopus dixit.

* quia

* oportunitum

Diu est, sanctissimi fratres, quod secundum instituta venerabilium Canonum, & decreta catholicae & apostolicae disciplinae, desiderabamus sacerdotalem inter nos fieri debere conuentum; * qui non solum ecclesiasticis regulis & ordinibus * opportunus est, sed etiam stabilem semper efficit caritatis fraternae concordiam: dum congregati simul in nomine Domini sacerdotes ea inter se salutifera collatione requirunt, quae secundum doctrinam apostolicam, vnitatem spiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc igitur, quoniam opratum nobis huius congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster, aspirante sibi Domino, regali praeepto concessit, & simul positi * confidemus, prius si placet, de * statutis fidei catholicae perquiramus: tunc deinde sanctorum patrum instituta, recensitis Canonibus, innotescant: postremo quaedam etiam, quae ad obsequium Dei, vel officium pertinent clericale, diligentius pertractentur: vt si qua fortasse per

Ephes. 4.

* vt
* confidemus
* statum

ignorantiæ desidiam, vel per longi temporis incuriam, aut varia inter nos habentur, aut dubia, ad vnam, sicut decet, rationis aut veritatis formulam reuocentur.

Omnes episcopi dixerunt: Profecutio tuæ beatitudinis iusta est: ea namque de causa conuenimus, vt aliqua nobis ecclesiasticæ constructionis vtilitas commodetur.

Lucretius episcopus dixit: Prius ergo de statutis fidei, sicut superius dictum est, conferamus. Nam licet iam olim * Priscillianæ hæresis contagio in Hispaniarum prouinciis detecta sit & damnata; ne quis tamen aut per ignorantiam, aut aliquibus, vt assolet, scripturis deceptus apocryphis, aliqua adhuc ipsius erroris pestilentia sit infectus, manifestius ignaris hominibus declaretur; qui in ipsa extremitate mundi, & vltimis huius prouinciæ regionibus constituti, aut exiguam, aut pene nullam rectæ eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem vestræ beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ sectæ venena ferpebant, beatissimus papa vrbs Romæ Leo, qui quadragesimus fere extitit apostoli Petri successor, per^r Turribium notarium sedis suæ, ad Synodum Galliciæ, contra impiam Priscilliani sectam, scripta sua direxit. Cuius etiam præcepto Tarraconenses & Carthaginenses episcopi, Lusitani quoque & Bælici, facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium tunc huius Bracarensis ecclesiæ præsulem direxerunt. Vnde, quia & ipsum præscriptæ fidei exemplar cum suis capitulis præmanibus hic habemus, pro instructione ignorantium, si vestræ placet reuerentiæ, recitetur.

Omnes episcopi dixerunt: Valde necessaria horum capitulorum est lectio: vt dum simplicioribus quibusque pristina sanctorum patrum statuta panduntur, abominata iam olim a sede beatissimi Petri apostoli, & damnata * Priscilliani hæresis figmenta cognoscant.

LECTUM est exemplar fidei cum capitulis suis: quæ ne prolixitatem facerent, his gestis minime sunt inserta.

Post lectionem capitulorum, omnes episcopi dixerunt: * Licet horum capitulorum lectio necessaria recensita sit, tamen euidentius & simplicius ea quæ sunt execrabilia,

Vide Conc. Tolet. II. epist. Montani episc. ad Theoribium. Nam de illo hic fit mentio. De hac regula fidei vide quæ notata sunt in primo Toletano. De his in Concil. I. Tolet. post descriptionem XX. capit. eiusdem Conc.

* Priscillianæ

* licet lectio necessaria recensita sit,

ANNO
CHRISTI
569.
* positis

bilia, ita * praposis etiam capitulis modo declarentur, vt qui minus est eruditus, intelligat; & sic sub anathematis sententia explosa iam olim Priscilliani erroris figmenta damnentur. Vt quisquis clericus, vel monachus, siue laicus, tale aliquid sentire adhuc vel defendere fuerit deprehensus, tamquam vere putre membrum continuo de corpore abscindatur catholicae ecclesiae; * ne aut societas eius maculam suae prauitatis recte credentibus ingerat, aut amplius de permixtione talium aliquod orthodoxis reputetur opprobrium.

* ne aut
societa-
tis aut
prauita-
tis eius
maculata
recte cre-
dentibus
de per-
mixtione

Proposita contra Priscillianam haeresem capitula, & relecta, continentur haec.

I.

Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non confitetur tres personas vnius substantiae, & virtutis, ac potestatis, sicut catholica & apostolica ecclesia docet, sed vnam tantum dicit & solitariam esse personam; ita vt ipse sit Pater, qui Filius, ipse etiam sit paracletus Spiritus, sicut Sabellius & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

II.

* ipsa di-
uinitas
sit Trini-
tas, sicut

Si quis extra sanctam Trinitatem alia nescio quae diuinitatis nomina introducit; dicens, quod * in ipsa diuinitate sit Trinitas Trinitatis, sicut Gnostici & Priscilliani dixerunt, anathema sit.

III.

Si quis Filium Dei Dominum nostrum, antequam ex Virgine nasceretur, non fuisse, sicut Paulus Samosatenus & Photinus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

IV.

* Priscil-
lianus di-
xerunt,

Si quis natalem Christi secundum carnem non bene honorat, sed honorare se simulat, ieiunans in eodem die, & in dominico; quia Christum in vera hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichaeus & * Priscillianus; anathema sit.

V.

Si quis animas humanas, vel angelos, ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichaeus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VI.

Si quis animas humanas dicit prius in caelesti habita-
Concil. Tom. 12.

Cccc

tionem peccasse, & pro hoc in corpora humana, in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. ANNO
CHRISTI
569.

VII.

Si quis dicit, diabolus non fuisse prius bonum angelum a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius; sed dicit, eum * ex chao & tenebris emeruisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum * esse principium atque substantiam mali, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit. * ex tenebris
* a se principium,

VIII.

Si quis credit, quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & ficcitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. IX.

Si quis animas & corpora humana * fatalibus stellis credit astringi, sicut pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit. * fatali
figura.

X.

Si qui duodecim * signa, quæ mathematici obseruare solent, per singula animæ vel corporis membra disposita credunt, & nominibus patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. * signa
de libris
his, que

XI.

Si quis coniugia humana damnat, & procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XII.

Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in utero matrum operibus dicit dæmonum figurari; propter quod & resurrectionem carnis non credit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

XIII.

Si quis dicit creationem vniuersæ carnis, non opificium Dei, sed * malignorum esse angelorum, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit. * malignorum

XIV.

Si quis immundos putat cibos carniū, * quos Deus in usus hominum dedit; & non propter afflictionem corporis, sed quasi immunditiam putans, ita absteineat ab eis, ut * quas

ANNO CHRISTI 563. nec olera cocta cum carnibus prægustet, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XV.

Si quis clericorum vel monachorum præter matrem, aut germanam, vel thiam, * vel proximam sibi consanguineam iunguntur, aliasque aliquas adoptiuas feminas secum retinent, & cum ipsis cohabitant, sicut Priscilliani facta docuit, anathema sit.

Concil. Eliber. Can. 27. & Concil. Tolet. Can. 15.

XVI.

Si quis quinta feria paschali, quæ * est cœna Domini, hora legitima, post nonam ieiunus in ecclesia missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani, festiuitatem ipsius diei, ab hora tertia, per missas defunctorum, soluto ieiunio colit, anathema sit.

* vocatur

XVII.

Si quis scripturas, quas Priscillianus secundum suum deprauauit errorem, vel tractatus Dictinii (quos ipse Dictinius antequam conuerteretur, scripsit, vel quæcumque hæreticorum scripta sub nomine patriarcharum, prophetarum, vel apostolorum, * suo errori consona * confinxerunt) legit, & impia eorum figmenta sequitur, aut defendit, anathema sit.

* & suo confinxerunt,

Propositis his capitulis, & relectis, Lucretius episcopus dixit:

* abominata sunt & damnata,

Quoniam ea quæ a catholicis * abominanda sunt & damnanda, manifestius & apertius etiam ignorantibus declarata sunt, necessarium post hoc arbitror, si vestræ fraternitati videtur, vt instituta nobis sanctorum patrum, recensitis antiquis Canonibus, innotescant. Quæ etsi non omnia, certe vel pauca quædam, quæ ad instructionem clericalis disciplinæ pertinent, relegantur.

* hoc edictum, &

Omnes episcopi dixerunt: Placet * quod dictum est, & congrua res est, vt quibus fortasse per incuriam abolita sunt ecclesiastica constituta, audiant sanctorum Canonum regulam, & obseruent.

Relecti ex codice coram Concilio tam generalium Synodorum Canones, quam localium.

Post quorum lectionem Lucretius episcopus dixit: Ecce ex ipsa Canonum lectione agnoscat sancta fraternitas vestra, non solum in generalibus Conciliis, sed etiam in

localibus congregatos simul sacerdotes, vno consensu ea quæ ecclesiastico conueniebant ordini statuiffe, & secundum quod vniuscuiusque rei * exhibebat ratio, prospexisse; sequentes sententiam doctrinæ apostolicæ dicentis: *Probate quæ bona sunt, & tenete.* Si ergo placet caritati vestræ, quia sunt aliqua ecclesiasticæ institutionis obsequia, quæ in huius præsertim extremitate prouinciæ, non per contentionem (quod absit) sed magis, sicut præfati sumus, * per incuriam aut per ignorantiam variantur, constituamus quædam inter nos capitula; vt quæ non vno modo tenentur a nobis, ad vnam omnimodo formulam reuocentur.

Omnes episcopi dixerunt: Necessarium, & valde hoc vtile arbitramur, vt ea quæ apud vnumquemque nostrum varia & inordinata consuetudine retinentur, vnito inter nos, per Dei gratiam, * quo per concordiam celebrantur, officio. Et idcirco si quid illud est magnum vel paruum, in * quibus variari videmur, ad vnam, sicut dictum est, formulam præfixis rationabiliter capitulis * reuocentur. Præcipue cum & de ceteris quibusdam causis instructionem apud nos sedis apostolicæ habeamus, quæ ad * interrogationem quondam venerandæ memoriæ prædecessoris tui * Profuturi, ab ipsa beatissimi Petri cathedra directæ est.

Lucretius episcopus dixit: Recte vestra fraternitas pro auctoritate sedis apostolicæ * reminiscita est: quæ licet eodem tempore innotuerit, quo directæ est, tamen pro firmitate testimonii, & instructione multorum, si vestræ vnanimi complacet, quia præ manibus est, coram his omnibus relegatur.

Omnes episcopi dixerunt: Iustum est, vt quia mentio ipsius auctoritatis est habita, quæ sit eius doctrina, a circumstantibus audiatur.

Relecta est auctoritas sedis apostolicæ ad quondam Profuturum directæ episcopum, quæ propter prolixitatem his gestis minima est inserta. Post cuius lectionem Lucretius episcopus dixit:

Manifestius patet, apostolicam nobis opitulari doctrinam. Et ideo sicut fraternitas vestra prædixit, si quid per ignorantiam apud quosdam * variū habeatur, ad vni-

ANNO
CAROLI
563.
* expecte-
bat* sicut per
incuriam,
aut per
ignorantiam,
ob-
stitit
mus* & con-
cordi in-
lectum
officio
* quo* reuo-
cantur* interro-
gationis
suar
* Profu-
turi præ-
dicta ab
ipsa beati
Petri ce-
cepit co-
thedra* reco-
data est
al. remi-
nata

* variat

1. Theff. 5.

ANNO CHRISTI 563.
* astringatur.
formem concordia regulam, perscriptis inter nos capitulis, * adiungatur.

Proposita sunt igitur capitula & relecta, quae continent haec.

CAPITVLA.

I.

Placuit omnibus communi consensu, vt vnus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur; & non diuersae, ac priuatae, neque monasteriorum consuetudines * cum ecclesiastica regula sint permixtae.

* contra ecclesiasticas regulas sint permixtae.

Dist. 20.
Placuit omnibus. & Concil. Tol. IV. c. 1.

II.

Item placuit, vt per solennium dierum vigiliis vel Missas, omnes easdem & non diuersas lectiones in ecclesia legant.

III.

Item placuit, vt non aliter episcopi, & aliter presbyteri populum, sed vno modo salutent, dicentes: *Dominus sit vobiscum: sicut in libro Ruth legitur; & vt respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo; sicut & ab ipsis apostolis traditum omnis retinet oriens, & non sicut Priscilliana prauitas permutauit.*

Ruth. 2.

IV.

Item placuit, vt eodem ordine Missae celebrentur ab omnibus, * quem Profuturus quondam huius metropolitanae ecclesiae episcopus ab ipsa apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum.

* quomodo

V.

Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem praetermittat, quem & antea tenuit metropolitana Bracarensis ecclesia, & pro amputanda aliquorum

dubietate, prædictus Profuturus episcopus scriptum sibi & directum a sede beatissimi apostoli Petri suscepit.

ANNO
CHRISTI
565.

VI.

Item placuit, vt conseruato metropolitani episcopi primatu, ceteri episcoporum, secundum suæ ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum.

VII.

Item placuit, vt de rebus ecclesiasticis tres æquæ fiant portiones; id est, episcopi vna, alia clericorum, tertia in * recuperatione vel in luminariis ecclesiæ: de qua parte siue archipresbyter, siue archidiaconus, illam administrans, episcopo faciat rationem.

* recuperatione

VIII.

Vide quæ
diximus
Concil.
Tol. XIII.
c. II.

Item placuit, vt nullus episcopus clericum alterius ordinare præsumat, sicut & antiqui Canones vetuerunt; nisi forte signata ipsius episcopi scripta susceperit.

IX.

Item placuit, vt quia in aliquantis huius prouinciæ ecclesiis diacones absconsis infra tunicam vtuntur orariis, ita vt nihil differre a subdiacono videantur, de cetero superposito scapulæ (sicut decet) vtantur orario.

X.

23. distin.
Non liceat
cuilibet.

Item placuit, vt non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab episcopo subdiaconi fuerint ordinati.

XI.

Item placuit, vt lectores in ecclesia, in habitu

ANNO
CHRISTI
563.

sæculari ornati, non psallant, neque^h granos gentili
ritu dimittant.

XII.

* vt vete-
ris testa-
menti ni-
hil poeti-
ce com-
positum

Item placuit, * vt extra psalmos, vel canonicarum
scripturarum noui & veteris testamenti, nihil poe-
tice compositum in ecclesia psallatur; sicut & ⁱ san-
cti præcipiunt Canones.

Hoc Augu-
stinus epist.
119. in Do-
natistis im-
probat.

XIII.

Item placuit, vt intra^k sanctuarium altaris ingredi
ad communicandum non liceat laicis, viris vel mu-
lieribus, nisi tantum clericis; sicut & ^l antiquis Ca-
nonibus statutum est.

XIV.

Item placuit, vt quicumque in clero^m cibo car-
nium non vtuntur, pro amputanda suspitione Pri-
scillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tan-
tum prægustare cogantur. Quod si contempserint,
secundum quod de his talibus sancti patres antiqui-
tus statuerunt, necesse est, eos, pro suspitione hæ-
resis huius, officio, excommunicatos, omnibus
modis remoueri.

XV.

Item placuit, vt hi qui pro hæresi, aut pro crimi-
ne aliquo excommunicantur, nullus eis communi-
care præsumat, sicut & antiqua Canonum conti-
nent statuta: quæ si quis spernit, voluntarie seipsum
alienæ damnationi tradet.

* alienum
a commu-
nitione fa-
cit.

XVI.

Item placuit, vt hi qui sibiipsis aut per ferrum,
aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspen-
dium, vel quolibet modo * violentam inferunt mor-
tem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat,

* violentiæ

43. q. 5. Pla-
cuit vt hi
qui.

neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam * vsurpauerunt. Similiter & de his * placuit, n qui pro suis sceleribus puniuntur.

* vsurpant. * placuit fieri.

XVII.

Item placuit, vt ° catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam vsurpatum est.

XVIII.

Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo * in basilica sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, p de foris circa murum basilicæ vsque adeo non abhorret. q Nam si firmissimum hoc priuilegium vsque nunc * manet ciuitates, vt nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reuerentia * obtinere?

* intra basilicam sepeliantur.

* retineat, alio amplius retineat Gallie ciuitatem, * obtineat.

Barch. lib. 33. cap. 157. Iuo. p. 3. c. 220.

XIX.

Item placuit, si quis presbyter, post hoc interdictum, ausus fuerit r chrisma benedicere, aut ecclesiam, aut altarium consecrare, a suo officio deponatur: nam & antiqui hoc Canones vetuerunt.

XX.

Item placuit, vt ex laico ad gradum sacerdotii ante nemo veniat, nisi prius anno integro in officio * lectorati vel subdiaconati disciplinam ecclesiasticam discat; & sic per singulos gradus prædictus ad sacerdotiũ veniat. Nam satis reprehensibile est, vt qui necdum didicit, iam docere præsumat; dum & antiquis hoc patrum institutionibus interdictum sit.

* lectorum vel diaconorum.



XXI.

Item placuit, vt si quid ex collatione fidelium, aut per festiuitates martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud vnum clericorum fideliter colligatur, & constituto tempore, aut semel, aut bis in anno, inter omnes clericos diuidatur: nam non modica ex ipsa inæqualitate discordia generatur, si vnusquisque in sua septimana quod oblatum fuerit, sibi defendat.

XXII.

Item placuit, vt quæcumque præcepta antiquorū Canonū modo in Concilio recitata sunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quasi contumax transgreditur, ille necesse est vt de suo degradetur officio.

Relectis capitulis, Lucretius episcopus dixit: Quia opitulante nobis Domino, ea quæ ad firmitatem catholicæ & orthodoxæ fidei, vel quæ ad officium ordinis ecclesiastici pertinebant, vnanimi (sicut oportebat) collatione decreuimus; restat nunc, vt ex omnibus his quæ * fidei gratia salubriter statuta sunt, propriam vnusquisque nostrum studeat docere atque informare diocesim. Si quis autem ex nobis in parochiis suis, post agnita huius Concilii statuta, aut clericum, aut monachum sanæ huic doctrinæ resistentem inuenerit, aut in aliquo adhuc Priscillianæ sectæ errore latitare persenserit, & non continuo illum excommunicatum & anathematizatum ab ecclesia foras eiecerit; ita vt cum huiusmodi homine nec cibum aliquis fidelium sumere, nec communicare præsumat; nouerit se is, qui talem receperit, & fraternæ esse excommunicationi obnoxium, & diuinæ procul dubio sententiæ reum.

Omnes episcopi dixerunt: Quæcumque a nobis * per Dei gratiam communi consensu decreta sunt, peruigili necesse est vt cum omni sollicitudine obseruentur. Quæ vt stabilem placitæ constitutionis obtineant firmitatem, propria vnusquisque his gestis manu sua subscribat. Et post episcoporum subscriptio subsecuta est.

Concil. Tom. 12.

Dddd

- * Gildeticus * Ildericus episcopus subscripsi. * Martinus episcopus subscripsi.
* Andreas episcopus subscripsi. * Timotheus episcopus subscripsi.
* Lucentius episcopus subscripsi. * Cottus episcopus subscripsi.
* Maliosus episcopus subscripsi.

ANNO
CHRISTI
563

NOTÆ.

Causa
Concilii.

^a *Concilium.*] Dum Iustinianus imperator in oriente a catholica fide deficiens orthodoxos insequitur, prout supra in notis ad vitam Iohannis tertii recensui, admirabili diuina prouidentia contigit, in occidente Theodomirum, qui fuerat hæreticus, ad fidem Christianam conuerti, cuius hortatu orthodoxi episcopi congregati, habitis Conciliis, hæreses omnes cum suis auctoribus condemnarent.

Hoc Concilium idem princeps celebrari curauit anno tertio regni sui. Ante omnia in eo secundum præscriptum sedis apostolicæ damnata est hæresis Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum errores. Baronius ann. 563. num. 14. & 15.

Locus
Concilii.

^b *Bracarense.*] Sic dictum a Bracara, quæ est totius Gallæciæ ciuitas metropolis non procul a Minio fluuio. Ptolem. lib. 2. cap. 6. Bracaros inter Gallæcos enumerat, eorumque metropolim Bracaram Augustam vocat. Plinius lib. 3. c. 3. Bracari sunt populi Hispaniæ Tarraconensis. Vide Abrahamum Ortelium.

Theodomi-
rus an Aria-
mirus Con-
cilium con-
uocauerit.

^c *Anno tertio Ariamiri.*] Sic omnes codices manuscripti constanter habent, & excusi. Verum historici nostri, Theodomirum non Ariamirum regem Sueuorum congregasse hoc Concilium affirmant: de cuius mirabili ab errore & impietate Ariana conuersione agit Gregorius Turonensis lib. 5. capp. 11. & 37. sed existimo, idem esse Ariamirum & Theodomirum. Vassæus aliter: secundum Bracarense tempore Theodomiri coactum existimat: primum vero anno Theudi tertio, 536. Domini: sed in re dubia editis & omnibus codicibus manuscriptis demere fidem non ausim. *Hæc Garfia.* Adde. Illustrissimus cardinalis Baronius a Garfia dissentit primum in tempore. nam auctore Garfia celebratum fuit hoc Concilium anno Domini nostri Iesu Christi 561. æra 599. Ex sententia autem Baronii illud habitum fuisse ponitur anno Christi nati 563. cum quo annus tertius Theodomiri coincidit. Secundo discrepat ab eodem Garfia, quod existimet hanc Synodum sub Theodomiro, non autem sub Ariamiro celebratam fuisse, quodque nomen Ariamiri per errorem in acta Concilii illapsum sit. Commune, inquit, fuisse reperitur tam patri quam filio, vt Miro vterque nominaretur: sed pater Theodo, Aria filio prænomen fuisse cognoscitur. Et licet apud Gregorium Turonensem idem qui Theodomirus, Charrarius etiam nuncupatus inueniatur: eundem tamen esse cum ipso Mironis parente, ex eodem auctore probatur. Hæc Baronius anno 560. num. 6. item ann. 563.

^d *Cum Gallæcia.*] In prouincia Gallæciæ duos contineri metropolitas, patet ex secundo Bracar. nimirum Bracarensem, & Lucensem.

^e *Priscilliana hæresis contagio.*] Damnata fuit hæresis Priscilliani

ANNO CHRISTI 563.

Concilio nationali Hispaniæ, vbi capitula contra eum sunt edita, transmissaque ad Balconium Bracaræ episcopum. De hac re vide Seuerum in historia, Isidorum lib. 8. etymolog. cap. de hæresibus, & quæ diximus supra. *Garfias*.

¹ *Turibium*.] Quomodo Turibius Asturicensis episcopus hoc loco appelletur notarius S. Leonis, dixi supra in notis ad epist. Leonis 93.

² *Dominus vobiscum*.] Salutatio hæc sacerdotalis ad populum antiquissima est, ab apostolisque fluxit. eius meminit sanctus Dionysius de ecclesiast. hierarch. & Soter papa apud Gratianum de consecrat. dist. 1. Can. Hoc quoque: & Burchard. lib. 3. cap. 34. Iuo parte 2. cap. 127. Alcuin lib. de diuinis officiis, cap. de celebratione Missæ, Hugo de sacramentis. Et Petrus Damianus librum inscripsit, *Dominus vobiscum*; qui floruit anno Domini 1050. Neque in hoc capite reicitur pontificalis episcopalisque salutatio, *Pax vobis*, quæ antiquissima etiam est, & solis episcopis tributa: eaque forma vsi sunt sanctus Iacobus & Basilius in liturgiis, & D. Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali cap. 5. & Chrysostomus homil. 3. ad Coloss. sed aduersus Priscilliani figmentum, qui vsum salutandi in Missa permutauit, decernitur, episcopum posse vt etiam sacerdotali salutatione. nam in Missis priuatis, & in solennioribus prima vice episcopus salutat hac forma: *Pax vobis*; postea dicitur: *Dominus vobiscum*; sicuti sacerdos: quod Priscillianus negabat, affirmans esse, *Pax vobis*, tantum ab episcopo dicendum semper, a sacerdote vero, *Dominus vobiscum*. Hæc *Garfias*, & sequentia.

Cap. 3.
Dominus vobiscum, est sacerdotalis salutatio.

³ *Neque granos gentili ritu demittant*.] Excusi, gradus: lego granos, vt est in manuscripto. De iis Isidorus lib. 19. etymolog. cap. 23. *Nonnulla etiam gentes non solum in vestibus, sed & in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vendicant; vt videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum*. Existimo esse genus laicæ vestis oblongæ. Hodie gramalla murice tinctæ magistrorum Barcinonis insigne est. Apud eisdem populos dicitur etiam gramalla, genus vestis luctuosæ, pullæ, quæ a Castellanis loba de luto dicitur, cum capirote.

Cap. 11.
Granus quid.

⁴ *Sancti precipiunt Canones*.] Sic enim Concilio Laodic. cap. 59. statutum est, vt in ecclesia non legantur nisi volumina noui & veteris testamenti, nihilque a plebe editum: & Carthag. III. cap. 23. & 47. *Sub nomine diuinarum scripturarum nulla preces vel orationes legantur, nisi sint in Synodo approbate, vel a prudentibus tractate*. Mileuitano cap. 12. legi permittuntur martyrum passiones, cum eorum anniuersariæ dies celebrantur: & Carthag. III. c. 47. doctorum orthodoxorum hymni: & Tolet. IV. c. 13.

Cap. 12.
Quid in ecclesia legi debeat.

⁵ *Sanctuarium altaris*.] Sanctuarium, velum intelligitur, quo distinguebatur locus altaris, & tegebatur, ne omni populo esset conspicuus. hoc constat ex Gregorio in epist. 30. ad Constantiã August. lib. 3. Vocatur & Brandeum; ex quo, cum a S. Leone papa forcipibus incidere, sanguis effluxit. alibi appellatur velamen.

Cap. 13.
Sanctuariũ altaris quid.

⁶ *Antiquis Canonibus*.] Sacerdotibus & Leuitis dabatur communicatio ante altare, clero in choro, populo extra chorum. Id constat

Cap. 13.
Communicatio a triplici loco.

eo triplici-
ter nomina-
ta.

ex Concilio Toletano IV. cap. 18. Hinc a locorum diuisione vocatur laica communio, & peregrina, & sacerdotalis. De qua re diximus Concil. Ilerd. c. 16. Laodic. c. 19. sic legitur: *Solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.*

ANNO
CHRISTI
563.

Cap. 14.
Esum car-
nis Eusta-
thianiabo-
minantur
quare.

^m *Cibo carniū non utuntur.*] Carnibus vesci noluerunt Eustathiani, eo quod immundas ducerent: ideoque in Concilio Gangrensi damnati sunt. De hac re etiam decretum est Can. 14. Concilii Ancyranī, iisdem pene verbis. *Qui in clero sunt, presbyteros, vel diaconos a carnibus abstinentes, visum est eas attingere, & sic, si velint, ab eis abstinere: si autem nolint olera, quæ cum carnibus apponuntur, comedere, & Canonī non cedant, ab ordine cessare.*

Cap. 16.

^p *Qui pro suis sceleribus puniuntur.*] Contrarium videtur decernere Concilium Aurelianense II. cap. 14. his verbis: *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus; si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.*

Cap. 17.
Catechu-
menus quis.

^o *Catechumenis.*] Catechumenus is est qui audiens a patribus appellatur: nam de fide, quæ ex auditu est, teste Paulo, instruebatur. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 6. Instituebantur autem catechumeni ab episcopo & sacerdotibus. Nicolaus papa. Triburiense cap. 6. Isidorus lib. 2. de offic. eccles. cap. 20.

Cap. 18.
Defunctorum corpo-
ra olim in
ecclesiis se-
pelire illicitum fuit.

^p *Deforis circa murum.*] Idem statuit Concilium Triburiense cap. 17. de laicis, vt non in ecclesia, sed in communi cœmeterio seu dormitorio sepeliantur: additur tamen: *Nemo enim in ecclesia sepeliatur; nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vite meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit.* Concilium Moguntinum cap. 52. excipit episcopos, abbates, & dignos presbyteros. Pelagius II. sic statuit, vt inter alia eius decreta legi in libro manuscripto bibliothecæ diui Laurentii: *Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sepeliantur; sed si necesse est, foris circa murum basilicæ.* Hunc morem antiqui Christiani religiose seruarunt, vt in capellis, aut in muro ecclesiæ, & non intra ecclesiam humarentur, quamuis essent proceres & principes viri: vt obseruatum est in multis basilicis Hispaniæ. Nunc vero tanta omnes homines ambitio & fastus cepit, vt lacera corpora, trunci artus, putres formæ, prope Christi Dei veri sacramentum, adhibitis marmoreis imaginibus, superbe collocentur. Superbiam & luxum inane damnamus, non pietatem; modumque profanis sepulcris adhibendum suademus. Vide quæ supra notauimus in calce Concilii Valentini.

In sepeliendis vero sanctorum martyrum corporibus alia erat ratio & conditio. Nam in illis condiendis, & in templis struendis ad eorum cultum, effusæ erant impensæ Christianorum; vt auctor est Tertullianus in apologet. & Prudentius, & Gregorius Nyssenus in oratione de funere Meletii, & Nazianzenus epistola 18. ad Sophronium.

^q *Nam si firmissimum hoc.*] Duodecim tabularum lege interdictum erat intra Urbem mortuos sepeliri: vnde in viis sepeliebatur Romani.

ANNO
 CHRISTI
 563.

¹ *Chrisma.*] Nullus presbyter chrisma potest conficere, vt statuit Siluester papa actione prima Concilii Romani cap. 5. & II. Carthaginense cap. 3. & III. Carthaginense cap. 36. & primum Toletanum cap. 20. & in epistola Montani ad Theoribium: id enim munus solius episcopi est. Innocentius papa epistola quinta. Estque Cyprianus auctor, id a Christi saluatoris Domini nostri facto emanasse, in opusculo de vnctione chrismatismatis, & aliis sacramentis.

Cap. 19.
 Quis minister chris-
 matis con-
 sectandi.

² *Aut altarium.*] Presbyter non debet consecrare altare: nam id etiam episcopo referuatum est. Concil. Agathen. cap. 43. Vide etiam Concilium II. Hispalense cap. 7. De eo etiam Felix papa IV. in epist. decretal. cap. 1. & Concilium Toletanum VIII. cap. 7. & Vormatiense cap. 8.

A quo alta-
 ria conse-
 crari de-
 beant.

³ *Semel aut bis.*] Hæc diuisio erat oblationum. Idem dicitur II. Bracarense cap. 6. At I. Aurelianensi cap. 16. dimidia pars assignatur clero, dimidia episcopo: & cap. 13. dicitur, tertiam partem esse episcopi, clericorum vero duas alteras. Vide decretum Damasi papæ apud Gratianum 10. quæst. 1. c. Hanc consuetudinem: & Concilium IV. Toletanum, c. 32.

Cap. 21.
 Diuisio ob-
 lationum.

⁴ *Lucretius.*] Fuit episcopus primæ sedis Bracaræ ecclesiæ, successit Profuturo, & præcessit Martinum eiusdem ecclesiæ episcopum.

⁵ *Andreas.*] Fuit Iriensis.

⁶ *Lucentius.*] Conimbricensis.

⁷ *Martinus.*] De sancto Martino episcopo Dumienfi hæc accipe. Fuit enim Dumienfis monasterii episcopus, de quo sic Isidorus libello de viris illustribus: *Martinus Dumienfis monasterii sanctissimus pontifex, ex orientis partibus nauigans Gallaciam venit: ibique conuersus ab Ariana impietate ad fidem catholicam Sueuorum populis, regulam fidei & sanctæ religionis constituit, ecclesiasticos informauit, monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit. Cuius equidem ego ipse legi librum de differentiis quatuor virtutum, & aliud volumen epistolarum: in quibus hortatur vitæ emendationem & conuersationem fidei, orationis instantiam, eleemosynarum distributionem, & super omnia cultum virtutum omnium & pietatem. Floruit regnante Theodomi- ro rege Sueuorum, temporibus illis quibus Iustinianus in republica, & Athanagildus in Hispaniis imperium tenuere. De eo etiam Concilio Toletano X. Construxit primo ecclesiam Dumiensem, deinde est pontifex Bracarenfis factus, qui scripsit de differentiis virtutum ad Mironem, & epistolas varias, & tractatum de castigatione rusticorum: in compendium contraxit Concilia orientalia, & Nitigefio episcopo Lucensi metropolitano misit.*

Martinus
 Dumienfis
 quis.

Scripta
 Martini
 Dumienfis
 qua.

⁸ *Cottus.*] Empuritanæ ecclesiæ, vt ex subscriptionibus secundæ Synodi Bracarenfis constat. *Hæc omnia Garfias.*